Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

superna inspirauit dignatio, simul et deprecari illos, ut pro nobis ac liberis nostris, proque totius regni a deo nobis collati, ipsius assidue exorare dignentur misericordiam. Paratissimos etenim nos atque promptissimos in omni suo inuenient obsequio. Si formam uero religionis ita ab eis obseruari conperimus, sicut iam uulgante ab eorum magistro ardue satis sanctitatis audiuimus. Tum uero erit artifices illuc ad operandum, undecumque eos in omni nostra inuenimus potestate, adducere et adunare, ut opus ipsum celerius possit expleri. Non nostra iuxta uoluntatem et consilium tuum regia loco illi deerit largitas, si apte eum constructum et conuenienter prosper erimus ordinatum. Talibus ac tantis regiis promissionibus nobilissimus uir Florus roboratus, contendit ad predium possessionis sue quod Glannafolium dicebatur, aduenit. Cuius aduentu Harderado audito, cum beato Mauro ante fores portarum menium pergit occursum. Uidens autem Florus beatum Maurum humillimo monachorum indutum habitu stantem, de equo cui tergo insedebat prucenter desiluit, ac tercio antequam ei appropinquaret toto corpore se in terram prosternens, cum ab eo humiliter receptus ac modeste ut decuit eleuatus fuisset, diutius se conplexantes, ac alterutrum constringentes, lacrimas quoque pre gaudio inuicem effundentes, immorati sunt. Tunc deinde predictus uir osculatis nobis omnibus apprehendens tamen dexteram beati Mauri manum constrictam eum exosculans, ait ad illum: Bene te uenisse gaudemus serue dei excelsi, et discipule sancti uiri Benedicti, cuius honorem et nomen quod in sancta emeruit seruitute pene iam omni seculo innotuit, et benedictum nomen domini gloriosum, qui te ac commilitones tuos istos reuerendos uiros ad adiutorium nostrum in istam misit prouinciam. Et hec dicens, ducebat eum ad domum precedente nos Harderado et filiis eius. Die uero alia cum post matutinale officium conuenissemus, aperit beato Mauro uoluntatem suam quam de constructione cenobii habebat, simul et regis referens promissionem ac deprecationem, quam eum et ipse cum filiis omnique pro domino attentius implorare expetebat. Tunc beatus Maurus ait ad illum: Obseruatio ordinis nostri summam deposcit quietem et securitatem.

Quapropter si nobilitati generositatis tue uidetur non esse contrarium, primo res quas deo eique famulis tradere pro remedio ut asseris anime tue desideras, simul pluribus testes inspicere debemus. Unde uero facto testamento, te silente nobis coram testibus, recipere eas conuenit in nostram dominationem. Cui cum assensum Florus prebuisset, ascensis equis post diem tercium, inspectis omnibus ad supradictam reuersi sunt domum. Tunc clarissimus uir Florus scripto iuxta consilium beati Mauri testamento tradidit ei omnia, et de suo iure in eius delegauit potestatem. Obtulit etiam ipso die domino filium suum nomine Bertolfum octo circiter annorum nutriendum et instituendum doctrina et magisterio beatissimi Mauri, sicut et ipse a sanctissimo magistro suo Benedicto educatus in omni nostra obseruatione fuerat.

Post completam oblationem ait beato Mauro: Inlustrissime uir et te et que tecum sunt certos tam de hoc loco quam de rebus ibi a me collatis esse conuenit. Cum et filium meum seruiturum deo puerum in obtulimus magisterium, et me ipsum si uita comes fuerit deo propicio, opusque perfectum, relictis omnibus que sunt huius mundi, in hoc eodem diuinis mancipandum seruitiis polliceor loco. Congregatis igitur plurimis artificibus et operariis iectisque fundamentis, opus ceptum cottidie certatim accelerabatur. Sed quia paruus deorsum super ripam fluminis erat locus, ex una enim parte obiecto montis, ex altera uero Ligeris angustabatur, in deuexo ipsius montis latere fabrica omnis monasterii edificari cepta est. Primum uero unam non admodum magnam edificauerunt orationis domum, quam beatus Maurus in honore sancti Martini confessoris Christi consecrari fecit, in qua et dei dispensatione et sua electione eum sepeliuimus. Nam sicut sanctissimus Benedictus in oratorio eiusdem beatissimi Martini, quod destructa ara Apollinis eius memoriam posuerat, sepeliri iusserat, sic perfectissimus eius discipulus ne uel in sepultura ab eo uideretur discrepare qualitate, in domo eiusdem orationis se precepit tumulari. Predictus denique uir Florus cum in omni regno Theodeberti regis summam obtineret potestatem, ac uice comitis in Andegauensi eo tempore fungeretur pago, peritissimos undique illuc conuenire fecit artifices lignorum quoque et cementarios, quosque et in aliis doctos artibus. Cumque die quadam cum beato Mauro operarios inspiciens resideret, ac uir domini lectioni deconter operam daret, ac intendi ea que legebat ipsi Floro exponeret, quidam clericus qui cementarie arti preerat, et quem idem Florus de palatio regis ob hoc adduxerat, de altissimis gradibus in quibus operarii stantes altius iam porrectam edificabant macheriam, retrorsum corruens, super deportatum illuc aceruum lapidum cecidit. Cumque eum omnes mortuum crederent, ac de sola eius sepultura tractarent, pre eo maxime quod per omnes corporis meatus undatim sanguis effluxerat, uir domini cum Floro aduenit. Eumque continuo ad ostium ecclesie beati Martini deportari fecit. Cumque omnes abscessissent, ipse intrans se ante altare orationi dedit. Qua completa egrediens, et super collisa membra signum crucis faciens, ait: In eius nomine qui primum hominem de limo terre formauit, et spiraculum ei uite inspirauit, surge sanus languide, et perfice opus quod cepisti. At ille uelut a somno surgens, mirari cepit quomodo illuc aduenisset. Sanctus uero domini ait ad illum: Non tuis huc pedibus, sed aliorum delatus manibus, sed perge quantocius, ne forte tua absentia opus intermittatur. Illo itaque egresso, Florus qui in parte cum Simplicio monacho stans cuncta que uir domini egit uiderat, concito cursu adueniens, seque ad pedes eius proiciens clamare cepit: Uere discipulus es sancte Maure beati Benedicti, de quo talia frequenter narrare audiuimus. Ex illo die isdem Florus ita eum in maxima habuit ueneratione, ut numquam ei propius accedere auderet.

Itaque cum clericus qui sanatus fuerat ad opus suum fuisset reuersus, quidam ex operariis beato Mauro detrahere ceperunt, dicentes eum non religionis obtentu, sed gratia cupiditatis quo honoratior esset in aliis regionibus suum reliquisse monasterium, ut tam longinquas adiisset terras, et hec que faciebat non in uirtute dei, sed quibusdam obtinere precaminibus. Cumque hec inter se sermocinarentur, maligni spiritus tres ex illis subito inuasit, ac ita grauissima uexatione torquere cepit, ut unum ex illis nomine Flodegiso animam extorqueret. Quod uero uir domini id quod euenisset agnouit, uehementer flere cepit, intransque oratorium beati Martini ingressus attentius dominum tam pro his qui torquebantur, quam pro illo qui mortuus fuerat deprecabatur.